

77
9408.
20
1728 4

THESES DE SYNDICIS

AD

LITEM AGENDAM CONSTITVTIS

Q V A S

P R A E S I D E

D. ERNST GOTTFR. CHRISTIANO

K L V G E L

IVR. SAX. P. P. IVDICI PROVINCIALIS IN LVSATIAE

INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLATATIS IVRIDICAE

WITTENENS. ASSESSORE

DIE XXXI. AVGVSTI A. O. R. MDCCCLXXVIII

H. L. Q. C.

P V B L I C A D I S P V T A T I O N E

D E F E N D E T


IOANNES CHRISTOPH SCHLOTT

ALTENDAMBACO - SCHLEVSINGENSIS.

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A TYPIS.





I.

Nisi conuocatio omnium vniuersitatis membrorum, ad id consulto facta, ut syndicu[m] litis causa eligant, demonstrari possit liquido, syndici constitutio defectu laborat.

Saepius de illa re quæstio occurrit. Membra vniuersitatis vltro compa- ruerunt, v. c. coram iudice vel notario, ut syndicu[m] eligerent, et syndicus deinde electus postea vniuersitatem defendit. Videtur is, qui vltro, nec vocatus ad certum negotium, illud tamen agit, perinde hoc recte fecisse, ac is, qui idem prævia fecit vocatione. Attamen de electione syndici id affirmari nequit. Evidem ex iure Electorali Saxonico res ea dubio caret, sec. O. P. R. tit. VII. §. 6. verbis: vermittelst eines richtigen Syndicats, woraus sogleich zu ersehen, daß hierzu die sämmtlichen Interessenten gehörend erforderl. Sed ius commune idem non minus postulat, saltim ex usu fori, qui introductus similitudine eius, quod cap. 28. X. de elec[t]i. decretum est. Nam Carpzouius quoque docet, prouocans ad complures alios antiquiores, in Proces[us] tit. V. art. IV. n. 35. formam iuri's seruandam esse hanc, ut ius eligendi habentes in loco aliquo publico conueniant, ad hoc vocati. Hanc membrorum conuocationem necessariam agnoscunt etiam Bergerus in Oct. Iur. L. IV. tit. X. th. II. n. 1. verbis: cautela est, ut eiusmodi conuocatio singulis ex vniuersitate insinuetur, Riuius in enunc. iur. ad tit. VII. en. 30. et alii. Non igitur sufficit, ut non vocati vltro adsint. Videtur enim opus esse, ut præparati conueniant, deinde nec, qui vltro veniunt, eos hoc veniente consilio, ut syndicu[m] eligerent, certo demonstrari potest, nec existimandum, supplere præsumptionem intentionis defectum.

A 2

II. Ver-

II.

Verbis vocandi sunt, qui syndicum elegant, non signo, nisi
hoc ad vnicam syndici electionem pertineat.

In eo loco, quem modo laudaui, Carpzouius post verba: ad hoc votati, addidit haec: vel per campanam vel per aliud signum. In aliis causis si vniuersitas conuocanda est, nullum est dubium, quin singulorum conuocatio per campanam vel aliud signum, pro more huius vel illius loci, recte se habeat, si omnes sciant, id signum hoc, ut conveniant, sibi velle. Nam aliis in causis, ut certa vniuersitatis pars conueniat, opus non est, sed de publicis rebus deliberant (nisi certi mores aliud posfulent) membra, quae adsunt, et si paucissima. Alter autem iudicandum est, si eligendus sit syndicus. Hac enim in causa necesse est, ut duas adsint partes tertiae, aut amplius quam duas sec. L. 3. D. quod cuiuscunque vniuers. nom. O. P. S. R. tit. et §. all. Berger. in Oec. Iur. l. c. Leyser. in medit. ad Pand. Spec. LIV. med. 7. Qui autem generaliori signo vocatur, nescientes, quid in conuentu sit agendum, adeoque longe alia potius quam syndici constitutionem tractari credentes, cum huiusmodi electio ad negotia frequenter obvia non pertineat, nulli dubitabunt, sanctam per signum conuocacionem negligere. Accedit. ut quilibet ex vniuersitate deliberate debeat de syndico eligendo prius, quam accedat ad conuentum, cuius occasio auferitur, si signum conuocationis nimis generale sit. Solent multis in pagis rustici conuocari malleo ligneo hunc ferme in modum: scultetus malleum vicino tradit proximo, aut tradendum curat, proximusque deinceps alteri, et sic porro, donec malleus per orbem traditus a postremo, sculteti ex altero latere vicino, ipsi reddatur sculteto, unde haec istis hominibus solennis formula: der Hammer ist herumgegangen, idem significat, ac vniuersitatē esse conuocatam, et in delictis, ex illorum moribus, refertur, si quis malleum retineat nec vicino tradat, quod his verbis efferrunt: wer den Hammer siegen lässt, das giebt Buße, quo etiam pertinet, si quis eum non ad proximum, sed remotiorem pertulerit vicinum. Hac autem mallei traditione non ad syndici tantum electionem, sed ad alia quaevis etiam communia negotia vocantur, quibus comparendi in his conuentibus ius est. Quapropter hunc modum conuocandi vniuersitatem ad syndici electionem sufficere, non censendum

2

dum est; praesertim in Saxonia per verba O. P. R. iusta laudata, hinc
gebührend erforderet. Idem de campana et alio quovis signo, multis
negotis communis, iudicandum erit. Etenim haec addenda omnino
est limitatio, conuocationem signo factam legitimam esse, si signum
quoddam peculiare sit, soli syndici electioni destinatum, et omnibus
ex vniuersitate satis notum, v. g. si campana certis quibusdam pulsibus
quatiatur, aut, quae vnicie huic inferuatur electioni, adsit, item si mal-
leus peculiaris, certa quadam forma elaboratus, aut aliis modis distin-
ctus, ad vniuersitatis membra mittatur.

III.

A tribunis ciuitatis, vel aliis, qui eam administrant, solis
constitutus syndicus, si regulam sequare, pro ciuitate recte non
agit.

Obseruaui, nonnullarum ciuitatum tribunos aut alios administratores,
Vierthalsmeister, Aiuschus, constituere syndicum, qui item pre ci-
uitate suscipiat. Provocant ad mores nonnunquam suos, pro quibus
hoc antiquitus receptum sit. Tali igitur constitutioni fauere videtur
L. 3. D. quod cui. viii. nom. verbis: nisi ei, cui lex permittit. Sed
sunt etiam multi, qui, hoc recte fieri, in genere affirmant, iuris in-
terpretes, ac proinde discrimen inter mediatam faciant et immediatam
syndici electionem. Huc pertinent Berger. in *Oec. Iur. loc. cit. Stryek*
in *vnu moderno Pandect. L. III. tit. IV. §. 8.* qui cum Carpzonio in
proc. tit. *V. art. IV. n. 27.* id ius ad senatum viris quoque extendit, et
Schilter in *Praxi iur. Rom. exer. X. corollar. 3.* (contradicente Carp-
zonio *loc. cit. n. 33.*) ad tribunos rusticorum, varis nominibus, Schulzen,
Schöppen, Baurmeister, Heimbürgen, Gemeindeversteher &c. insignitos. Ve-
rum hanc opinionem in vniuersum vix posse defendi, facile est ad de-
monstrandum. Constitutus enim in hunc modum syndicus vere substitutus
est, in quo id exploratum esse debet, vt potestate substituendi polluerint
illi, a quibus facultatem accepit agendi, praesertim cum facultas sub-
stituendi in generali mandato non comprehendatur. Quam ob causam
necessa erit, vt probet, iis, a quibus creatus est, ius esse syndicum
constituendi. Hoc ipse Carpzonius *loc. cit. n. 43. 46.* et cum eo Ber-
gerus



gerus animaduerterunt, quorum hic scribit *loc. citato*: cautela, ut eiusmodi commissariorum instruclio peruersigetur, vtrum illi inserta sit constitutio syndicatus. Hoc itaque probato, ad item perorandum syndicus quidem admittendus erit, sed rectius substitutus vel actor nominandus, cum ipso potius tribuni syndicorum munere fungantur, qui, constituto actore, hoc ipso ciuitatis agunt nomine. Nam hoc etiam existimo esse necessarium, et cum negotii conuenire natura, vt ipsi tribuni, qui pares sunt constituedo syndico, quem agere ciuitatis nomine oportet in iudicio, eodem creentur modo, quo syndicus a tota vniuersitate electus, singulis scilicet ad eam adscriptis rite vocatis, et obseruatibus obseruandis reliquis. Quodsi enim syndicus, qui nomine vniuersitatis negotia gerit in foro, non nisi ipsis solennibus adhibitus, hoc munus obire potest, qui posset alius, nisi fuerit eodem ritu creatus, syndicum nomine ciuitatis eligere.

IV.

Electus hoc modo a tribunis ex more ciuitatis ad item syndicus facultate id peragendi, ad quod speciale mandatum requiritur, non gaudet, nisi haec potestas ipsis data sit tribunis.

Hoc probatur ex L. 54. et L. 175. §. un. D. de R. I.

V.

Potest membrum vniuersitatis alteri mandare, vt suo nomine syndicum eligat, aut, quemcunque velit, aut, quem mandans ei nominat.

Brunnemannus in *Comment. ad Pand. ad L. 3. D. quod cui. vnu. nom.* scribit, non sufficit, singulos separatim consentire, sed necesse est, eos congregari. Quanquam autem non legitime electus videtur, si diversis temporibus consentiant, quibus ius suffragii est, (quamvis ne hoc quidem indubitatum sit, et, ratam posse haberi electionem ab iis, qui praesentes non fuerunt, quam plurimi tradant, vt Berger. in *Oet. Iur. loc. all.*) mandare tamen electionem alii, legibus non prohibetur, quorundam

❧ ♫ ⚡

quorsum referendum *cap. 42. X. de electione.* quin saepius, eligentium
vnuſ duplēcē ſuſtīnere debeat perſonam, v. c. propriam, et tutoris.
Debet autem ſecundum diſt. *cap. 42. §. 1. de elect. collegae mandari elec-*
tio, quod quidem hodie non ſolet ab omnibus, qui collegium aut
vniversitatem conſtituant, obſeruari.

VI.

Pluribus syndicis ad cauſam agendam conſtitutis, vnuſ eo-
rum negotia in iudicio ſolus minus recte uſcipit, niſi coniunctim
et ſeparatim, quod nobis dicitur, ſamnit und ſonders, conſtituti
ſint.

Schilterus in *praxi iur. Rom. exerec. X. th. 51.* hanc clauſulam praefuſi
et tacite adiectam intelligi exiſtimat. Ratio tamen, quaे illum ad hanc
amplectendam permouit ſententiam, syndicos multis variisque occupa-
toſ eſſe negotiis, et propter ea non ſemper omnes ſimul in iudicio poſſe
comparere, non ad omnes, fed ad ordinarios syndicos, qui ad vni-
uerſa negotia vniuerſitatis, iudicia ſia et non iudicia, conſtituti ſunt,
pertinet, de quibus ſolis in iſta et reliquis theſiſbus intelligentium eſſe
Schilterum, ex ea, credo, patet muneriſ deſcriptione, quam exhibuit
theſiſ 56. At enim vero, ne tunc quidem in negotiis pro vniuerſitate
in iudicio geſtiſ, niſi lex diſerte hoc velit, quemadmodum in Saxonia
O. P. S. R. tit. VII. §. 3. tuto iſta clauſula ſubintelligetur, cum pro-
curatores plures conſtituti ſigillati agere nequeant, *cap. 6. de procur.*
in 6. et syndicus vniuerſitatis procurator ſit. L. 18. §. 13. D. de muner-

VII.

Ex syndici, cui potestas transigendi data eſt, transactione
obligatur vniuerſitas catenū, vt, ſi tempus reſtitutionis in inte-
grum finitum ſit, de laefione dumtaxat cum syndico agere poſſit.

Vniuerſitas quaedam transactionem syndici, quod damnoſa eſſet, in-
validam habens, syndicum uiliter tantum negotia gerere poſſe, con-
tendebat. Sane *L. 1. §. 2. D. quod cuiusc. vniu. nom. indeſenſa conſe-*
tetur



tur vniuersitas, cuies syndicus ad agendum est inhabilis, quod verbum: inhabilis, Brunnemannus in commentario ad eam legem sic explicat: paria sunt, plane non fieri, vel ita non fieri ut fieri debuit, et per L. 49 D. de procurator. ignorantis domini (multo magis noleantibus) conditio per procuratorem fieri non debet deterior. Ad hoc recedit Leyseri, quae merito magna est, auctoritas, in medit. ad Pand. Spec. LIV. med. 11. Argumentum etiam a mutuo duci potest, cuius versionem in utilitatibus vniuersitatis probare tenetur creditor L. 27. D. de reb. cred. Haec tamen omnia frustra obtentuntur transactioni, cum transactionis fiat re dubia, L. 1. D. de transact. et, quamvis sub generali mandato transactionis potestas non subintelligatur, L. 60. D. de praturat. si tamen syndico transigendi potestas definite concessa sit, pro ignorantre dominus litis haberi nequeat, nec donasse, qui transfigit, videatur. d. L. 1. de transact.

VIII.

Quanquam iudex syndico neget ius transigendi, si tamen haec potestas ei vere data sit, ex errore iudicis eius transaction non fit vitiola.

Eadem in causa, quae mihi, hanc proximam thesin proponendi, ansam praebuit, in scriptura sive registratura, quae in memoriam transactionis confecta erat, ex iudicis sententia additum fuit, deficiente in constitutione syndicorum, qui transegerant, clausula transigendi, comprehendam esse transactionem ratihabitione vniuersitatis. Huius iussus memores singuli quidam, non tamen omnes, ratum habebant, quod gessum erat. Quapropter, exceptione ex hac publica scriptura et ratihabitionis vitio elicita, vniuersitas deinde impedire effectum studebat transactionis. Sed clausula, quae abesse credebatur, distincte adiecta erat syndicatus instrumento. Rejecta igitur est exceptio, cum iudicis error causam agentibus nocere nequeat. L. 15. D. de iurisd. L. 5. D. de iur. et facili ignor.



ULB Halle
002 265 427

3



(f) 56,

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

THESES
DE SYNDICIS

AD

LITEM AGENDAM CONSTITVTIS

Q V A S

P R A E S I D E

D. ERNST GOTTFR. CHRISTIANO
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE
WITTENB. ASSESSORE

DIE XXXI. AVGUSTI A. O. R. MDCCCLXXVIII
H. L. Q. C.

P V B L I C A . D I S P V T A T I O N E

D E F E N D E T

IOANNES CHRISTOPH SCHLOTT

ALTENDAMBACO - SCHLEVSINGENSIS.

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACAD. A TYPIS.